

Resp.

Respondeo hoc debere intelligi improprie, & per quamdam analogiam, id est, sicut res spirituales non videntur, ita nec species; & sicut res spirituales difficillimè à nobis cognoscuntur, ita & hæ species: tum quia sunt minutissimæ entitatis materialis.

Septima difficultas petit, an species sensibiles sint formales similitudines obiectorum, an tantùm virtuales?

DECISIO SEPTIMA.

Num 10. Species sensibiles sunt tantùm virtuales similitudines obiectorum.

Resolutio. Non sunt formales, sed tantùm virtuales similitudines. Explicatur: Formalis similitudo est v. g. imago Regis representans ipsum Regem; similitudo virtualis est v. g. semen, quod non representat hominem formaliter, sed tantùm virtualiter.

Prob. primò.

Probatur ergo resolutio primò: Tunc formaliter potentia cognoscitiua cognoscit, quando habet formalem similitudinem obiecti, sed posita specie impressa in potentia sensitua non statim formaliter sequitur sensatio, ergo potentia sensitua non redditur formaliter similis obiecto per speciem impressam, ergo species impressa non est formalis similitudo.

Secundò.

Secundò: Si species impressa esset formalis similitudo, frustra daretur expressa; ad hoc enim datur expressa, vt potentia cognoscitiua fiat formaliter similis obiecto, non ergo sit similis per impressam, sed per expressam, ergo formalis species expressa est formalis similitudo, non verò species impressa.

Obije primò.

Obijcies primò ex Aristotele de memoria, & reminiscencia: Species impressa est sicut sigillum ceræ impressum, sed tale sigillum est formalis similitudo, ergo species impressa erit formalis similitudo.

Resp.

Respondeo comparationes esse tantùm veras analogicè, & secundùm quid, non verò per omnia, sed in præsentit tantùm valet; quòd sicut sigillum imprimatur ceræ, ita species impressa imprimatur potentia; non est tamen necesse, vt eodem modo omnimodè sese habeant.

Obije secundò.

Obijcies secundò: Ad hoc datur species impressa, vt formaliter representet obiectum potentia, vnde sic fit argumentum: quod formaliter representat aliud, est formalis representatio, seu similitudo, sed species impressa formaliter representat obiectum, ergo est similitudo formalis.

Resp.

Respondeo speciem impressam dari, vt obiectum potentia representet, non quidem formaliter, quia hoc facit species expressa, sed tantùm virtualiter, aut ad summum formaliter virtualiter, non autem formaliter actualiter, sicut semen hominis representat hominem generandum, non quidem formaliter actualiter, sed tantùm formaliter virtualiter.

Octaua difficultas de diuisibilitate specierum potest triplicem pati sensum: Primus sit, an species sensibiles sint indiuisibiles secundùm intensionem: Secundus, an sint diuisibiles secundùm extensionem subiectiuam, id est ad extensionem sui subiecti: Tertius, an sint etiam diuisibiles secundùm obiectiuam extensionem.

Esse autem diuisibile secundùm ipsam intensionem est esse diuisibile secundùm gradus qualitatiuos, v. g. an albedo vs sex emittat spec-

ciem vs sex representantem album? quòd si vno gradu intendatur, an producat speciem vs septem representantem album vs septem: esse verò diuisibile secundùm extensionem subiectiuam est esse diuisibile secundùm partes quantitatiuas, & habere subiectum diuisibile quantitatiuè, ad cuiusque extensionem posse diuidi: Demum esse diuisibile secundùm extensionem obiectiuam est representari obiectum diuisibiliter, ita vt vna pars speciei representet partem obiecti, & tota species totum obiectum.

DECISIO OCTAUA.

Resolutio prima. Species sensibiles impressæ sunt diuisibiles secundùm extensionem subiectiuam, & etiam secundùm extensionem obiectiuam: Prima pars est contra Paulum Venerum secundo de anima textu 127. attamen vt vera

Probatur primò: Quod est indiuisibile, est totum in toto, & totum in qualibet parte, sicut ordinariè dicitur de anima rationali, sed species non sunt totæ in toto subiecto, & totæ in qualibet parte subiecti, ergo non sunt indiuisibiles, ergo sunt diuisibiles: maior patet: minor probatur, alioquin videndo minimam partem obiecti videremus totum obiectum, quia illa minima pars speciei representans minimam partem obiecti informaret meam potentiam visuam: quòd si species esset indiuisibilis, qualibet eius minima pars representaret totum obiectum, & sic per illam minimam partem speciei viderem totum obiectum; experimur tamen contrarium, nam v. g. in speculo, si tantùm pars obiecti obueretur speculo, intuens speculum videbit tantùm illam partem, ergo species non est in toto, & tota in qualibet parte subiecti.

Probatur secundò: Quod est in subiecto diuisibile, est diuisibile, sed species sunt in subiecto extenso, & diuisibili, ergo sunt diuisibiles subiectiuè; accidens enim diuiditur ad diuisi-

Probatur altera resolutionis pars contra Toletum, primò: Quod est à causa diuisibili, & extensa, illud est diuisibile, & extensum, sed species impressæ tales sunt, ergo sunt diuisibiles, prout proueniunt ab obiecto.

Secundò: Vbi sunt partes, & partes, ibi est diuisibilitas, sed in speciebus sensibilibus respectu suorum obiectorum sunt partes, & partes, ergo sunt diuisibiles: maior patet: minor probatur experientià; sit enim obiectum coopertum totum, demptà vnâ minimâ parte, illa minima pars producat sui speciem, deinde discooperiatur magis, pars denuò discooperata producat sui speciem; quòd si discooperiatur totum, producentur species totius obiecti, vbi vides partem speciei produci post partem, ergo diuisibiliter.

Obijcies: Sicut se habet luminosum ad luminis productionem, ita se habet obiectum ad productionem specierum, sed luminosum ita producit lumen, vt totum luminosum producat totum lumen, totamque lucem; non verò pars luminosi producit partem luminis, ita pars obiecti non producit partem speciei, sed totum obiectum totam speciem indiuisibiliter, ergo species impressa erit indiuisibilis obiectiuè.

Respondeo negando paritatem; nam ideò pars

Num 11. Species sensibiles sunt diuisibiles & obiectiuæ, & subiectiuæ. Probatur prima pars. Prima.

Secundò.

Probatur secunda pars primò.

Secundò.

Obije.

Resp.